Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

da deum tuum syon. quoniam confirmauit uectes portarum tuarum. Confirmauit
non dum dixit. apposuit tantum. Confirmauit uectes portarum tuarum. nemo
exeat. nemo intret. Nemo exeat gaudeamus. nemo intret. timeamus.
Nec hoc timeas cum intraueris. Dico tantummodo. esto in numero uirginum. que por
tarunt oleum secum. Virgines enim ille animas significant. Non enim uere
quinque erunt. sed quinque ille milia sunt. Numero illo quinario milia in
telliguntur. non feminarum tantum sed et uirorum. quia et uterque sexus dicitur femina. quia
et ecclesia utriusque sexus. hoc est ecclesia dicitur uirgo. Desponsaui uos uni uiro uirgi
nem castam exhibere Christo. Paucarum est uirginitas in carne. omnium debet esse in cor
de. Virginitas carnis corpus intactum. uirginitas cordis fides incorrupta.
Ergo dicitur uirgo tota ecclesia. et masculino genere appellatur populus dei. Vterque
sexus populus dei. et unus populus. et unicus populus. et una ecclesia et una columba. atque
in hac uirginitate milia sanctorum. Ergo quinque uirgines omnes animas intraturas
in regnum dei significant. non sine causa quinario numero. quia quinque corporis sensus
sunt notissimi omnibus. Per quinque enim ianuas intrat aliquid per corpus ad ani
mum. Aut per oculos intrat quod concupiscas male. aut per aures. aut per olfactum.
aut per gustum. aut per contactum. Per has quinque ianuas quisquis non admiserit
corruptionem. inter quinque uirgines computatur. Admittuntur autem corruptio
nes per illicita desideria. Quid autem liceat quod non liceat. pleni sunt libri scripturarum.
Ergo opus est ut sis in illis quinque uirginibus. non timebis quod dictum est nemo intret.
Dico enim hoc et fiet hoc. Sed cum intraueris nemo contra te claudet. sed te ingres
so. claudentur porte hierusalem. et firmabuntur uectes portarum eius. Nam si tu
uolueris esse aut non uirgo corde. aut et si uirgo inter fatuas uirgines. foris re
manebis. et frustra pulsabis. Que sunt fatue uirgines? Et ipse quinque sunt.
Que non anime que habent istam continentiam carnis ut uitent corruptelas ab omnibus
sensibus uenientes? Quos sensus iam enumeraui. Vitant uelut corrupti
ones uenientes undique. et non in conscientia gerunt bonum suum coram dei oculis.
sed placere inde uolunt hominibus. et iudicium secuntur alienum. Fauores
uulgi aucupantur. uilescunt. cum spectatoribus esse cari uolunt. non eis sufficit
conscientia. Merito non portant oleum secum. Oleum autem est ipsa gloria. propter ni
torem et splendorem. Sed quid dicit apostolus? Videte uirgines sapientes. por
tantes oleum secum. Opus autem suum probet unusquisque. et tunc in semetipso gloriam habe
bit et non in altero. Hee sunt ergo uirgines sapientes. Stulte autem accendunt
quidem lampades. Videntur quidem lucere opera earum. sed deficiunt et ex
tinguuntur. quia non de oleo interiore pascuntur. Et dormiunt omnes tardante